

26. K

74

RECTOR
ACADEMIÆ FRANCOFURTANÆ
DAVID ORIGANUS

UTRIUSQUE MATHEMATICÆ

PROFESSOR PUBL.

AD JUSTA FUNEBRIA

Quæ
HERON

PIETATIS, PRUDENTIÆ, ET INTEGRITATIS

Laude Illustri

Viro MAXIMO

DN. HARTVICO DE STITTEN,

in Pomersvvitz, Rösnitz, Windorff, & Steubervvitz, &c.

Illustriss: Principum Marchionum Brandenburgensium, &c. Consiliario intimiori,

Ducatus Carnoviæ Provinciali Præfecto &c.

Anno	S M. D. LXIII.	V.	Non. Jul. Nato
	M. DC. XXI.	XI.	KAL. JAN. DENATO
	M. DC. XXII.	PRID.	KAL. FEB. Tumulando

MATRONA

NOBILISSIMA ET HONESTISSIMA

DN. MAGDALENA STITTENIA,

nata Ashelmia de Goltzschmieden, Hæreditaria in Pom-
mersvvitz, Rösnitz, VVindorff, & Steubervvitz.

Nec Non.

MAGNIFICUS & NOBILISSIMUS

Vir

DN. REINHARDUS DE KYCKBUSCH

in Heinsdorff & Goldschmieden, Illustrissimi Principis

Lichtenstein, Ducis Oppavensis, &c. Consiliarius, &c.

Ille; MARITO DESIDERATISSIMO

Ille; Adfini Amplissimo

Ex ædibus PAROCHIAL. Templi Cathedralis

JUSTE exsoluenda locerunt

Omnes suæ Jurisdictioni subjectos amicè
& peramanter invitat.

Literis FRIDERICI HARTMANNI.

M. BASILIUS
AD
MODESTVM PRÆFECTVM
Apud
GREGORIUM NAZIANZEN,
Orat. XXX. in laudem Basil.

Non exilium, inquit, ullū agnosco, qui nullo loco circumscriptus sum, ac neq; terram hanc, quam nunc incolo meam habeo, Ego eam omnem in quam projectus fuero, pro me aduco: Immò ut rectius loquar, universam Terram Dei esse scio, cuius advena ego sum Ego peregrinus!

P. C. C. A.



Vum universa Justis seu Vita seu
conversatio, non sit nisi (a) Taeda,
contempta ad cogitationem Tran-
quilli: quemadmodum Hiob lo-
quitur, ille secundus collegii
triumviralis justorum: Tum ve-
rò tota in hoc mundo Sanctorum P-
REGRINATIO, nihil est nisi Mundi
immundi perpetuum SCANDALUM

a) Job. XII.
com. V.

OFFENSIO. Nam ut facilè, si sensum, ut cerebrò, si con-
fuetudinem, ut periculosè si gravitatem erroris spectes, in-
hunc lapidem impingant, quorum vel mentem connata
cæcitas, vel volitantatem malitiosa perversitas, vel corda
Sathanas, Seminator Scandalorum & auctor excæcavit: nō
solum hodieque Empaictarum χλευάσμα: sed de in-
cognitis quoque sententiam temerè ferentium ωγκέ-
μata docent. χλευάσμα; si quidem non credunt, Judic-
cium Domini (b) incipere à Domo Dei. Προκείμενα autem;
quoniam non auscultant illud, Ne ante tempus (c) quicq;
quam Judge. Quocirca neque diem Dei humano die an-
tevertere, neque judicium Domini præjudicio suo præve-
nire: neque cordium manifestationem, sua temeritate ante-
cedere verentur: nolentes de tabula recitari humana
invidiā, quos, ut monuit Augustinus, de libro viventium, Aug. Ep. 139
non delet iniqua conscientia. Et sanè;

b) I. Petr. IV.
com. XVII.
c) I. Cor. IV.
com. V.

Quidam ubi cernunt cernui calamitosam Fideli-
um PEREGRATIONEM, suspicantur hæreticam in FI-
DE pravitatem: Et tanquam cum Saulis parasito,
(e) Davidi; cum Idumæis, filiis Jacobi; cum Babyloniiis,
Israeli; cum Antiocho, fœderis custodib., insultantes
interrogant, UBI NUNC Deus VESTER?

e) Ps. XLII.
co. IV. XI.
Psal. CXV.
com. II.
Joel. II. com
XVII.
Malach. II.
com. XVII.

Alij, quibus solum natale Plantatio, Exilium Extirpationi comparatur, ubi sentiunt animo, violentam Piorum è loco insesso ejectionem : tanquam hypocriticam in VITA improbitatem inde colligere possint, ita cum Jobi amicis Eliphazo, Bildado, Zopharo (a) concludunt singulis orationibus, Jobum aut maleficentissime vixisse, aut egisse hypocritam coram Deo. Nonnulli v. mundanorum amatores, mundi cives, ubi rectos corde acceperint extra solum velut exilire, illico à TENTATIONE ad CAUSAM MALAM, à calamitate ad conscientiam argutantur; conjecturis secum putantes, quod Milites in naufragio, (b) jam causam esse judicatam: aut quod Barbari de Apostolo, (c) in forib, esse ultoris pœnam. Quod si præterea Mori in peregrinatione contingat: tum vero omnes demum sanis cogitationibus excidere, omnes occultis convitiis, aut confictis criminibus, aut apertis contumeliis, sanguinem honoris fundere; omnes denique exclamare, Hoc, Hoc ταλαισματα ἄξιον. Hoc illud κυρὸς ἀλιμότερον πλευταῖ! quemadmodum exiliusorum hominum dicteriis Chrysostomus has voculas olim repetitas literis illigavit. Evidem nolo heic abiire longius à Patriâ, nec θηκετούμην scammata jacularium, nec ἄξειαν nudos non vestientium: nec αχαειαν vestitos spoliantium: nec μισθεωπίαν peregrinos fastidentium: non in tectum inducere, non in angulo lectulum parare, nō tunicam commodare, non molestiam abstinere, contrā interdictum Jehovæ: (a) sed animas advenarum prorsus nescire volentium, dicam. Ex quo enim anno superiore Evangelium Gallia, fidem Bohemia, pietatem Moravia, Lusatia integritatem, Helvetia libertatem, aliæque provinciæ & Regna Orthodoxiam tantum non aspernata, in Dianam, in Sveciam, in Hollandiam Dei Sanctos peregrinatū misere: quis non

a) Job. IV. V.
VIII. XX.
&c. XXXV
com. XIII.

b) Actor.
XXVII. cō.
XLII.
c) Actor.
XXVIII.
IV..

Chrysost. in
cap. Genes.
XLVII. Ho-
mil. LXVI.

a) Exodus.
XXIII. com
IX..

non scandalorū acceptorum segetem prodigiosam in
agro , non dicam alicno , sed nostro provenire vidit?
Quis, Deo suos cibrante , & aream Ecclesiæ à paleis
purgante, in omnib. Christi peregrinis, quod monuit Au-
gustinus, Christum excipi credidit ? Quis præfestina præ-
judicia fratrum, otiosas fabulas, mordaces jocos, de-
tractiones venenatas, positaq; in cælum ora, non audivit?
Unde si eadem χλευάσμα , si ἀγνείαται eadem sensit
HEROS dum in mundo viveret, Pietatis, Prudentia, Inte-
gritatis Lumen: nunc, dum in cœlo agit, Constantia exem-
plum, Vir Nobilissimus Dn. HARTVICUS de STITTEN in
Pommervvitz, Rösnitz, VVindorff, & Steubervvitz,
Illustriss. Princip. Marchion: Brandenburg. Consiliari-
us, Ducatus Carnoviensis Præfectus provincialis, &c.
nulli videri mirum aut debet aut potest : Siquidem
piorum communis sit afflictio, quæ fuit olim Jobi con-
fessio, ὁ δικαιος ἀνὴρ τοῦ ἀπειπόντος εὐχάριστη σίς χλευάσμα, uti eam
Seniores LXX. suā lingua redidere. Et David: Perse-
quuntur, inquit, (d) quos tu percussisti: Et secundum dolorem
confessorum tuorum narrationes contexunt. Quanquam autē
nullum est Exilium Christiano, ut de se sentiebat Basilius: (e)
nec Scandalorum, hoc est impiorum scandalū magnope-
re extimescēda probo ; Sive enim spectetur MUNDUS;
nonne Christi discipuli futuri sunt Judices (f) mundi ? Sive
Temeritas Judicii; nonne Judicium temerarium (g) magis
nocet judicanti, quā Judicato? Sive causa Justi; Nonne negat
causa causa, neq; persona personæ, ut iterum Augustinus, (h) præ-
judicat? Nec fides eventu aut vita successu, aut causa casu ex-
stimanda venit ? Tandemque Temeritas, quā quis punit a-
lium, eadē ipsa punit punientē Interest tamen Ecclesiæ tran-
quillitatis, Justiū Solatii, & Victoriae, justos adversus
Iuctam carnis & Spiritus in hoc Mundis scandalo præ-

Aug. Serm.
LXII. de
Tempor.

Job. XII.
com. IV.
d) Ps. LXIX
cō. XXVII.
e) Apud Na-
zianz. Orat
XXX. in
laudem.

Basil. pag.
D VIII.
f) I. Cor. VI.
com. II.

g) Aug. Epist
CXXXVII.

h) Aug. Ep.
CCIV.

Id. de Serm.
Dom. in
monte l. II.

Pſ. LXXXIII.
com. XIII.
ſc XIV.
D) Job. XXI.
com. VII. &
IX. ſc.
m) Jerem.
XII. com. I.
n) Habac. I.
com. XIII.
o) Lament.
Jerem. II.
com. XV.
XVI.
Pſ. LXXIX.
com. IV. Et
XXXVIII.
Et XLIV.
com. V. XVI
XVII.
Et XLI.
com. VI.

a) Pſ. XLII.
com. II.

Bellarminus
Tom. I. lib.
IV. de Eccles
cap. III. IV.
ſc.

muniri. Nunc enim caro cum Davide se affectam pla-
ga cogitat, & (k) castigatione singulis matutinis imminente.
Nunc cum Jobo computat, (l) ut improbi vivant, vetera-
ſcant, viribus valeant: ut pax sit domibus eorum, negat virgine Deus
instet eis? Nunc cum Jeremia & Habacuc(m) etiam coram
Deo judicio contendit: Cur via improborum succedat? cur
tranquilli ſint, quicunq; agunt perfide? cur Deus furdum agat, (n)
dum absorbet improbus justiorem ſe: Faciens homines velut pisces
maris? ut reptile, cui non eſt dominator? Itaque ut ſæpe inge-
micit ſecum & lamentatur in Tentatione: Sic exæstuans
(o) in peregrinatione manus innocentes fruſtra haberi
conqueritur: ac tandem exclamans, Quousque Do-
mine? opprobria vicinorum, ludibria circumſtantium,
modulationem hostium, conclamantium; Quando
morietur & perierit nomen ejus: Et fata in cremo, ſol-
licitè deprecatur. Non ergo alienum erit, neque ab
inſtituto ad quod voçamur, neque à tempore in quod
incidimus, ſi prodituri in Funus Olim Peregrini in ter-
ris, nunc Indigenæ in cœlis, tā Gausam PEREGRINATIO-
NIS piorum, quā MORTIS in peregrinatione medite-
mur: cūm ut deprehensis mendaciis, quæ ψυχην ἀνθεγέπω
imponunt, Justi ſua ferre non damna, ſed lucra æqui-
us: Et ſpectatores Justorum, Regiā exhortatione mo-
niti, (a) ad Egenum, quod eſt Beatorum, attendere lubentius, oce-
clusis ſtultorum oris, confueſiant. Quoties verò cau-
ſas cum Peregrinationis, tum Mortis piorum in Peregrina-
tione indagine quæro; toties mirari non poſſum, quid
venerit in Menti Bellarmino, illi contra Regulam
Blasphemæ Societatis Monachorum Cardini: ut TEMPORALEM FELICITATEM inter notas Catholicæ Eccle-
ſiæ, veras, proprias, notiores, intimasque referret.

Quasi

Quasi quæ militat Ecclesia interris, nūquā ἀπόλις aut extorris, nunquā exterris, ut cum Isidoro loquar, esse aut possit, aut debeat. At qui sive caput Ecclesiae, Christum: sive corpus Christi mysticum, Ecclesiam: sive membra corporis vera vivaque consideremus: tam falsum est unā in terrâ patriâ Ecclesiam semper agere: quam est ineptum Militantem in terris, Triumphantem in cœli eodem tempore cogitare. Christus profugus ē Bethlehemo, (a) fit hospes in Ægypto, vix exacto bennio. Ecclesia avolat à facie serpentis in desertū, ut recipiat se (b) in locum suum. Unde non tantum columnæ sustinenti (c): & Candelabro stanti (d) & firmamento manent: Sed & nubi fugienti, & columba ad suas fencestras prope ranti (e) Et turturi gementi in cavernis petrarum (f) & mulieri alata (g): denique singulorum piorum animæ, Aviculae avolanti (h) & perdici (i) in montibus, à Davide comparantur. Nisi ergo asseveratione in tempestivâ affirmes, Casu pios Exilio premi: aut qui Tragicis malis labo rant, omnes PECCATORES esse: aut piis mala male, bona solum bene cedere: aut Tantum ei bene esse, cui secundum carnem bene est, non juxta spiritum: aut hoc inter pios & impios interesse, ut illi arum nosi sint, bi florente felicitate seculi gaudeant: aut Pietatem in his terris, extra Scholam crucis exercendam: aut de nique, Eandem piorum sortem in Ecclesia militantium esse debere, qua olim erit Triumphantium: nisi inquam unum ex his septem ψυχογεφύραι afferas; nunquam Bellarmini sententiam tueri: nunquam peregrinos esse SANTOS in hoc mundo, quod fatetur Psalmographus (a), negare potueris: cuius argumenti, quod Moyses aje bat, (b) Inimici nostri Judices esse possunt.

Quæ causa est igitur inquis tantorum casuum?

Immo

- a) Matth. II
com. XIII.
XIV.
- Ose. XI. co. I
- b) Ap. XII.
com. XIV.
- c) I. Tim.
III. co. XV.
- d) Apoc. I.
com. XX.
- e) Esa. LX.
com. VIII.
- f) Ps. 84. c.
IV. Cant. I.
6.12.
- g) Apoc. XII
com. XIV.
- h) Psal. XI.
com. I.
- i) I. Sam.
XXVI. c.
XX.

- a) Ps. xxxix.
com. XIII.
- b) Deuter.
XXXII. co.
XXXI.

Immò non casuum, sed consiliorum Dei: nisi prima; ne
Sancti peregrini CHRISTO suo capiti, quod scripsit Aposto-
lus, (c) in peregrinatione conformatur. Solo excessit
Iudeæ Christus, & de nocte excessit, matre Maria, tu-
tore Josepho comitatus, cum pueri quæreret animā in
Bethlehemo Tyrannus. Atqui, si (a) Bedæ fides est, Maria
Ecclesiæ, Josephus Fidelium, Ægyptus mundi, Hero-
des odii mundani, Nox ignorantiae ejicientium Chri-
stum, est imago. Nequaquam igitur offensam animi ca-
piamus ex hoc Domini consilio: si quæ in capite, non
habente ubi caput (b) reclinet, præcessit dispensatio: eadem
sequatur cōditio in membris, ut pro voluntate capitis
patria excludātur & tecto. Pro peregrinon. Christus peregre-
agit, inquit Nazianzenus: Et quasi alienus ad propria venit,
ut peregrinum ornaret atq; illustraret. Altera causa ea est, ut
reliquæ peccati inhabitantis in carne sanctorum, ex-
purgentur hoc modo per stimulū Exiliorum. Quæ cau-
sa fecit, ut Exilium (c) παιδίας à LXX senioribus vocami-
ne vocaretur. Ut enim yero Peregrinationis nostræ in mundo
causa peccatum: ita reversionis munus est remissio peccatorum,
ait Augustinus. Quocirca si quando dijudicainur im-
posita sarcina peregrinationis, à Domino παιδεύομεν
(erudimur) ne cum hoc mundo (f) damnemur. Nam ju-
bemur, ut, quod Petrus (g) orabat, tanquam advenæ
& peregrini nos à carnalibus desideriis abstineamus.
Tertia causa est, ut suspirantes à civitate seculi ad civi-
tatem cœlestis paradysi, non tam per seculorum volu-
mina curramus in finem, quam hospites nos esse, mēto
ab honore, animo à voluptate, spiritu ab imperio & di-
vitiis abducto, cum Patribus patriam quærentib. agno-
scamus. Quid est mūdus in oculis piorū, nisi ξένων ἀνίση
Hospitum

(e) Rom. 8.
com. 29.

(a) Beda in
comm. ad
cap. II. Mat

(b) Lue. 9.
com. 58.

Nazianz.
Orat. 43.

(c) Esdr. 7.
com. 25.

Aug. Ps. 36

(d) 1. Cor. 11.
com. 32.
(g) 1. Pet. 11.
com. 1.

Hospiti domus? Quis Abraham, Isaac, Jacob: nisi $\xi\epsilon\nu\omega$?
Quis Moyles, & David, nisi παρεποδήμοι. (a) Nec injuria
igitur, tā ille quā isti, uti se inquilinos (b) prædicarunt,
ita, ut decet peregrinos, Patriam suspiriis quæsiverūt.
Peregrinus, inquit Bernhardus, via regiā incēdit, non decli-
nat ad dexteram, neq; ad sinistram. Si fortè jurgantes viderit
non attendit. Si nubentes, aut choros ducentes, aut aliud quodlibet
facientes, nihilominus transit: quia peregrinus est, & non
pertinet ad eum de talibus. Ad patriam suspirat, ad patriam ten-
dit, vestitum & victum habens, non vult alijs onerari. Beatus
plane, qui suum sic agnoscit, sic deplorat incolatum, dicens Domi-
no; | Quoniam ad vena ego sum apud te, & PEREGRINUS, si-
cūt omnes PATRES mei. Immò Lætas in Domino: Qui
obliciscitur populum suum, & domum Patris sui.

Posttema vero & hæc inter causas censeri debet,
ut Peregrinatione Fideliū plantetur Ecclesia per or-
bem Terrarum. Enim vero planè est ita, ut scripsit
Chrysostomus, Justorum cōversatio & Vita, est totius
Philosophiæ summa. Mittitur n. Josephus in Ægyptū
ut Seniores informet. (a) Abducitur Daniel in Babylo-
nem, ut Ecclesiam inter Gentes seminet; Peregrinatur
Paulus, ut Evangelij sono omnia usq; ad Illyricū loca
repleat: pios sermone, exemplo, constantia, erigat:
hostes confundat: fideles de Viatico sibi comparan-
do instruat: deniq; mortem ipsam non exhorrescere
doceat, quæ meta peregrinationis, portus jactatio-
nis, Janua patriæ, & via est ad vitam.

Quæ cum omnino ita se habeant, nihil est profecto, nihil est,
cur pios πνεύμα illa εγγυαται fatigent: Quasi sit mori in peregrinatione
misérum. Quin potius πνεύμα illa cum Chrysostomo deputamus inter
Ψυχρὰ ρηματα, γέλωτο γέμοντα, ηγάροις μεσù, frigida, ridicula
& insipientia plena. Neq; n. is dignus est ut miser dicatur, inquit ille

a) Heb. XL.
com. XIII.
b) Ps. 39. c. 13.

Bern. in
quadrages.
serm. VII.

Vide
Chrysost.
Hom. 4. de
Anna.

a) Psal. CV.
com. XXII.

Chrysost. in
cap. 47.
Genes. Hom.
qui 66.

a) Psalm 53.
com. 22.
b) Psal. 115.
com. 5.
c) Heb. II.
com. 16.

qui in Solo alieno aut solitudine vitam finit: sed qui in peccatis mortuus etiamsi super lectū, etiamsi præsentibus amicis omnib⁹ spiritum est, exhalet. Nam ut malorū mors mala est: (a) Sic mors Bonorū semper in conspectu Domini pretiosa. (b) Nisi quis forte velit Abrahamum centum, Isaacum centum & octoginta, Jacobum centum & quadraginta septem annorum peregrinos, in morte Miseros vocare: à quibus tamen Deus, cognominari non erubescit. (c)

Ergo habemus & tenemus causam in medio positam, Ecce Deus, qui Peregrinorum Deus & Humilium consolator est, Magnificum ac veré Nobilem Virum, Dn. Dn. HARTWICUM de ST. TTEN Peregrinationis magisterio conformare Christo, in fide ornare, in vita exercere tandemque beare voluit! Cujus certè totum vitæ curriculum, si efficiāt species, CONSILIARIU PII, PRUDENTIS, INTEGRI exemplum fuit: Sin autem Statum, etiam Christiani, orbi ooxi, Peregrini Lumen. Quid enim verò? Nonne (si exordia recenseas) dūnae fit in Anno M.D.LXIII. VII. Jul. parente utroque, cum propriæ virtutis, tum generis & gentis, antiqua avorum, proavorum, atavorum, paterna maternaque linea ascendentium, coram Illustriss. ac Celsiss. Principe, Dn. JOHANNE ADOLPHO, Duce Megalopolitano, &c. indubitatis exemplis illustrorum laude Nobilissimo, in Holsatiâ, natus: Anno, pueritiæ finitore, VIII. Lubecano mercatui literario donatus: Anno XV. post comparatam Sapientiæ primam supellectilem, redux in patriam factus: domi ad Monitoris privati lucernam formatus: statim exacto inter ora parentum quadriennio, ad nostras Athenas Marchicas Anno M.D.LXXXI. missus, prima Peregrinationis Tyrocinia dedit? In quibus talem sese gessit cum admiratione Bonorum, ut industria in Philosophiâ, sobrietatis in Virtutem, modestiæ in Fortunam, observantiæ in Doctores, gratitudinis in Præceptorum, verecundiæ denique laudem in Seipsum multis coætaneis præriperet: Luce autem Pietatis etiam majoribus non paucis præstaret. Cujus gloriæ, uti tum temporis comitem, & in Palæstra bonæ mentis commilitonem: ita nunc Testem integrū, Virum Integerrimum, antiquæ Fidei & Virtutis D. Doctorem Casparum Dornavium, Medicorum, Oratorum, Historicorum & Politicorum ocellum reliquit. Nonne (si profectum repetas) idem Francofurto discedens, Academiis cæteris per Germaniam perlustratis, in omnibus, Heroem ostendentibus, tam militaris & Equestris, quam civilis

peritis

peritiæ asceteriis ea incrementa fecit: ut Anno M. D. XCII. in aulicorum Illustriss. ac Celsiss. Principis D. JOACHIMI FRIDERICE Marchionis Brandenburg. &c. collegium cooptatus: mox Celsitudinis illius Filio, Princip. Illustriss. JOHANNI GEORGIO, Administratori, id temporis, Episcopatus Argentinensis, exteris provincias & regna adeunti, loco Consiliarii Secretioris atque Ephori adjungeretur. In qua sparta ornanda ita quoque deinceps sudavit, ut paucis licet manibus auxiliaticibus usus, Res tamen Episcopatum artinente sic moderaretur, ut, citra S. Romani Imperii & ordinum Protestantium præjudicium, nec minore cum gratia sui Principis, paginam ficeret utramque. Tandem Marchiam quoque cum Principe ingressus, non solum abs Sereniss. Electore inter Consiliarios allegitur: sed & bis legati partes bis oratoris ad Sereniss. Regem Poloniæ & status Regni, non sine publici acclamatione tuetur. Quin (si cipulu consideres) nonne Virtus in peregrinatione mundana illustrior, tantum in eo valuit, ut Anno M. DC. IX. ab Illustriss. Principe JOHANNE GEORGIO, Marchione Brandenburg. Illustribus ordinibus Ducatus Carnoviae Præfectus Provincialis nominaretur? ut nunquam in hoc munere Virum deesse Ecclesiis, Scholis, Rebus pub. pateretur: nunquam sine merito publico, de Principibus Illustris. Silesiæ, deq; tota Silesia & fæderatis populis convicinis, rediret. Donec eundem illustribus legationibus apud Imperatorem Rodolphum Pragæ; apud Matthiam in Castris Pragensibus, Eburi, Znoymi, Aurelianii, Viennæ hærentem: apud Illust. status Boemiæ, apud Illustris. Ducem Wirtebergensem; apud Sereniss. Electorem Regio monti Borussorum agentem: apud Regem & Reginam Daniæ, ne nunc reliquas commemorem, defunctum, in arce PEREGRINANTIMUM & RECTE AGENTIUM collocaret.

Nimirum ita omnis quidem mundus PHILOSOPHANTIBUS exilium est: ait Hugo: At magnum tamen Virtutis principium est, ut discat paulatim exercitatus animus visibilia hæc & transitoria primum commutare, ut post modum possit etiam derelinquere. Delicatus ille est adhuc, cui P ATRIA dulcis est. Fortis a. jam, cui omne Solum patria est. Perfectus vero, cui mundus totus exilium est. Ille mundo amorem fixit: Ille sparxit: Hic extinxit. His ergo incrementis animus ille profecit SENATOR: his seipsum in Virtute, ubiq; Comite,

Hngolb. 30
Erudit. di-
daso. cap.
20.

mite, firmavit: His etiam sub matrimonio, anno M D C X eum Nobilissima Castissimaq; Viragine MAGDALENA, nata Ashelmia de Goldschmiden, nunc viduā suo conuge Luctuosa, inito; & huc usq; utut prolis experte, pacis tamen compote, lētissimo contubernio in timore Dei, servavit. Donec tandem, Rege Patriæ nostræ CHRISTO JESU, suo peregrino de patria providente, Francofurtum attingens: & illic morbi inexpubnabili intemperie, hic Medicorū fide luctante; illic uxoris sedulitate: hic καχεξία superante, recurrentibus s̄epe dolorib. Colicis, per Christum in Christo, annos natus L V I I I , XXII. Decembr. Anni superioris, ad stante Dei internuntio Rev. Dnn. Christophoro Pelargo, fidei peregrinationem in vitæ possessionē beatissime finivit. Ecce ergo, δ H O M O, ut sit vita Christianorum jugis peregrinatio; Respice ut mundi non terrigenæ, sed alienigenæ olim peregrini, nunc Dei domestici i fide in adspectum desinentes, peregrinatione non consumantur, sed consummentur, non perdantur, sed purgentur, non evertantur, sed beentur. Vestrum erit P. C. C. A. qui ut municipes cœlorum vos geritis, qui ē cœlis opificem civitatis æternæ expectatis, qui in superna Hierosolyma πολιτευμα quæritis, socios tam vitæ, quam patriæ fideles ornare; Reip. & Ecclesiæ tanto virtutis exemplo orbatæ condolere: viduæ Nobiliss. & piennissimæ, familiæ amplissimæ, pro meritis defuncti in Ecclesiam, officiis in Rempub. ornamentis in Academiam nostram, honorifica & solemnni funeris deductione, cordolia in parte levare: atq; exilium mundi Christianis putare gloriosum. Interea novistis illud: Etiam beatis accenseri eum, in cuius oculis contemtus est reprobus: in cuius animo honoratus est Dei TIMENS.

Rectè valete.

Aug. in Ps.
118.

Ps. 15. §. 6.

VV. C. D.

Ja 666

ULB Halle
002 177 021

3



sb-200

Von MC





FarbKarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



TOR
ANCOFURTANÆ
RIGANUS
ATHEMATICAÆ
SOR PUBL.
FUNEBRIA
Æ
RON
Æ, ET INTEGRITATIS
Illustri
AXIMO

O DE STITTEN,
ndorff, & Steubervvitz, &c.
leburgensium, &c. Consiliario intimiori,
ovinciali Præfecto &c.

Non. Jul. Nato

KAL. JAN. DENATO

ID. KAL. FEB. Tumulando

ONA

HONESTISSIMA
NA STITTENIA,
eden, Hæreditaria in Pom.
indorff, & Steubervvitz.

Non.

NOBILISSIMUS

DE KYCKBUSCH
eden, Illustrissimi Principis
iensis, &c. Consiliarius, &c.
IDERATISSIMO
Amplissimo
L. Templi Cathedralis
nda locerunt
oni subjectos amicè
er invitat.

HARTMANNI.

